ELOQUENTIAE SERIIS CULTORIBUS, SACROR. & CIVIL FACUNDA ARTE REGUNDOR...

Georg Caspar Kirchmaier





ELOQVENTIÆ SERIIS CULTORIBUS,

Sacror. & Civil. facundâ arte regundor. Admiratoribus S. P.

GEORG. CASP. KIRCHMAJERUS,
Orator. Prof. Publ in Electoral. Academia
VVITTEBERG.







Literis JOHANNIS WILCKII,
A. cIↄ Iↄc LXXXIII.



Cùm & literarum & pugnandi gloriâ gens nulla unqvàm ſuperaverit Romanos, ſeu virtutum magnitudinem, ſeu Majeſtatis admiratione æſtimes, ſeu diuturnitatem deniq; Imperii, qvod in Orbis penè omnis cardines vim diffundebat ſuam, & ad æmulationem usq; poſteris transmiſit; (ut aut appellentur Cæſares Romani meritò, aut magnis animorum armorumq; motibus affectent alii,) tùm maximè dicendi laudem adeò fecerunt ſibi propriam, ut palmam nationibus præripuiſſe univerſis videantur. Sciſcitanti cauſſas multæ ac gravisſimæ occurrunt qvidem, ab hoc tamen inſtituto alienæ; qvæ in rem faciunt præſentem, potiores *duæ artes ſunt*, ut* *Ciceronis* teſtimonio utamur, *qvæ poſſunt locare hominem* (qvidni etiam Rempublicam?) *in amplisſimo dignitatis gradu; una Imperatoris, altera Oratoris boni. Ab hoc enim pacis ornamenta retinentur: ab illo pericula belli repelluntur.* Togæ ſcilicet ſagiq; tempora prudentiam gubernatricem & juſtitiam non minùs, qvàm fortitudinem heroicosq; ausûs poſcunt: ut non temerè armatam Palladem confinxerit antiqvitas. *Imperatoriam*, ait Imperator ipſe, *Majeſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed Legibus etiam armatam eſſe oportere; ut utrumq; tempus, & bellorum & pacis rectè posſit gubernari.*

Orat. pro Muran.

Sed hîc alterius duntaxat curam ſuſcepturi atqve commendationem ſumus, qvando ſponte ſuâ, juxtà Ennianum illud, *ſpernitur Orator bonus, horridu miles amatur.* Magna

 maximi

maximi Scriptoris vox habenda ap. *Tacit.* dialogo : Neminem magnam ſine Eloqventiâ potentiam fuiſſe aſſecutum. Adeò, ut *Reges omnes, Deo qvidem charos, Eloqventiâ donatos cœlitùs fuisſe*, affirmaverit *Heſiodus.* Dicendi excellentiâ qvid *Cineas* effecerit, teſtatus *Pyrrhus* Rex Epirotarum; *plures Cineæ oratione occupaſſe urbes ſe, qvàm armis ſuis potuisſe.* Fulmen iſtud Macedoniæ *Philippus* unicum *Demoſthenem* plus totâ fertur formidaſſe Græciâ. *Piſiſtratus* Athenienſium Tyrannus valuit tantoperè dicendo, ut Imperium illi ſolitarium, oratione ejus capti Attici, concederent. Philippo patre major Alexander filius, cùm præliandi tempora inſtarent, gentes ſingulas oratione variâ & accommodatâ, *Curtio* prodente id memoriæ, alloqvebatur: Illyrios Thracasq; opum & divitiarum oſtentatione; Græcos veterum bellorum recordatione ac perpetui cum Perſis accendebat odii; Macedonas Europę victæ admonebat nunc, nunc expetitæ Aſiæ implebat ſpe; nec inventos toto pares Orbe ſuis, gloriatus. Affecit ita ſingulorum certè animos, & nihil non effecit. *C. Julium Cæſarem* (ut ad Romanos revertamur noſtros,) *Apollonio* Rhetori clarisſimo navaſſe operam, *Svetonius* teſtatur; eundemq; præter alia ſubſidia inprimis fretum Eloqventiâ, ſuprema rerum invaſiſſe culmina, Scriptores celeberrimi teſtantur. *M. Tullius Pompeji* inter artes cæteras imperatorias mirificè commendat gratiam & vim dicendi; ut ſub initia civilis belli declamandi conſvetudinem repetiiſſe ipſum; Cæſarem *Auguſtum* etiam ne Mutinenſi qvidem bello omiſiſſe, memorat *Tranqvillus.* Eloqventiæ adminiculo *Antonius* ad obtruncandum ſe emiſſos milites ſævisſimos, ut gladios evaginatos redderent vaginis, potentisſimè obſtupefecit. Hujus ope Romanorum ad id temporis Senator diſertisſimus, Menenius Agrippa, factioſam

de CC. corrupt. Eloqv.

Plutarch. in vit. Pyrrhi

arma-

armatamq; plebem revocavit ad consilia saniora, & Senatui subjecit iterùm. Accuratissimè *Virgilius* vim illam animos domandi his expressit:

--- Ac veluti magno in populo cùm sæpè coorta est — 1. Æni

Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus,

Jamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat:

Tùm pietate gravem ac meritis si fortè Virum qvem

Conspexere, silent, arrectisq; auribus adstant.

Ille regit dictis animos, ac pectora mulcet.

Jam, ut, qvàm verè *Plato* scripserit, *communicare cum auctoritate Regiâ Oratoriam dignitatem, dum, qvod justum est, persvadet, & cum illa publicas res administrat*, constet, prodeant Imperatores primùm, incorrupti judices post Deum summi, & Brabevtæ. *Cari* filius *Numerianus* Cæsar, cùm ponenda ipsi statua in Bibliotheca esset, non Cæsareæ potestatis nomine, sed Eloqventiæ ingeniiq; gloriâ invenit ibi locum: (Plat. de Regno. — Flav. Vop. de eod.)

NUMERIANO. CÆSARI. ORATORI. SUIS.
TEMPORIBUS. POTENTISSIMO.

Oratio nimirū ejus, *Flavio* dicente, *tantum babuisse fertur Eloqventiæ, ut illi statua, non qvasi Cæsari, sed qvasi Rhetori decerneretur*. Nec tantùm in Ulpia, quæ Romæ erat, Bibliotheca, sed & in Provinciis qvibusdam habitus hîc Oratoriæ honos. Ipsemet, qvi Ulpiàm instituit, *Trajanus*, artiumq; & scientiarum benignissimus patronus extitit, in Bithyniæ provinciâ, & qvidem Prusiæ statuam amavit poni, *Plinio* auctore: *Ipse*, inqviens, *in re præsenti fui, & vidi tuam qvoq; statuam in Bibliotheca positam*. Idem Optimus *Trajanus Celsum* Rhetorem honore statuæ dignatus ap. *Xiphilinum* legitur. Panegyristes & Collega Cæsaris *Trajani* admiratione plenus veluti exclamat: *Qvem honorem dicendi Magistris, qvam dignitatem sapientiæ doctoribus babes?* Qvasi ageretur tædio *Maternus*, *asserit ibidem: neq; comitatûs istos & egressûs, aut freqventiam* (Plin. l. X. Epist. 85. — Xiphilin. lib. 68. — Plin. in Panegyr.)

tiam ſalutationum concupiſco; non magis, qvàm æra & imagines, qvæ etiam me nolente in domum meam irruperunt. Et qvid de *Frontone*, M. Antonini cogitabimus magiſtro, ſi *Capitolino* auſcultemus? *Oratoribus uſus eſt Græcis, Annio Marco, Caninio Celere, & Herode Attico Latino, Frontone Cornelio. Sed multum ex his detulit Frontoni, cui & ſtatuam in Senatu poſuit.* Nec illud tantùm; ſed *Rhetoribus per qvaslibet provincias bonores & ſalaria conſtituit.* Poſteritas vix habitura fidem aliàs fuiſſet, niſi de Imperatore ſapientiori Antonino retuliſſet id *Capitolinus* in illius geſtis: *Tantum honoris magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum* AUREAS *haberet in* LARARIO, *& ſepulchra eorum aditu, hoſtiis, floribusq; ſemper honoraret.* Prætergredior Themiſtii honorem à *Conſtantio* tributum.

Capitolin. in M.Antonin. Conf. & Euſeb. poſterior. Chronic. lib. Id. in Anton. Pio. in Antonin. Philoſ.

Themiſt. Orat. 17.

Memorabile in ævum omne (neſcio an uſpiam locorum, niſi forſitan in *Svecia*, à Perilluſtri *Skyttio*, exempli loco iteratum?) factum eſt *Conſtantii* Imperatoris anteà laudati. Ita qvidem ille ad *Eumenium* inſignem Oratorem: *Qvod aliud præmium conferre debemus, qvàm qvod nec dare poteſt, nec eripere Fortuna? Salvo igitur privilegio dignitatis tuæ, hortamur, ut* Profeſſionem Oratoriam *repetas atqve in* (Auguſtodunenſium) *ſupradictâ Civitate, qvà non ignoras nos ad priſtinam gloriam reformare, ad vitæ melioris ſtudium adoleſcentium excolas mentes; nec putes, hoc munere ante partis aliqvid tuis honoribus derogari; cùm honeſta Profeſſio ornet potiùs omnem, qvàm deſtruat, dignitatem. Deniq; etiam ſalarium te in* SEXCENTIS MILLIBUS NUMMUM, *ex Reipublicæ viribus conſeqvi volumus; ut intelligas,* MERITIS TUIS *etiam noſtram confluere* (conſtare legerim) *clementiam. Vale Eumeni chariſſime nobis.* Magnos magna etiam decere, nota vox; & poterat hoc ſine fraude immenſarum facere

Conſtantius in epiſt. ad Eumen.

opum

opus Imperator. Sed de Majestatis Admi ... ro ... car talia, imò majora, singulorum laudem facil ... ip ...

Heros is incomparabilis, JOH. SKYTTE, Lib. Baro, Regni Svec. Senator, Præses Regii in Goth ... udicii Junecop. Cancellar. Upsaliens. Academ. & Finlandiæ citerioris Legislator fuit; qvi in donationis tabulis, à venerabili Episcopo prolatis An. cIↃ IↃc XXII. ista literis mandari jussi ... fassus: Posteaq ... a ipso didicisset usu, qvantum gerendis rebus conduceret prudens Eloqventia, (*audite posteri, si respuat hæc præsens ætas*,) se favente gratiâ divinâ, Eloqventiæ Politicesq; studiis exercendis consecratum, maximâ ex parte Regum, Principum, & aliorum benevolentiam conciliasse sibi, fortunas auxisse, in conventibus Regni publicis, & in Legationibus ad Orbis Europæi Reges Principesq; & Respublicas insignem atqve nullo ævo intermorituram liberalitatem expertum; legare ideò ex facultatibus reditibusq; suis, Professori Eloqventiæ in Acad. Upsaliensi in perpetuum salarium ***. Amplissimam hanc summam esse, discimus ex Ornamento Sveciæ *Scheffero.* Villas etenim XII. cum ædibus lateritiis fruendas perenni atqve confirmatione Regiâ munito beneficio legavit. Jam qvid de nimiâ propemodùm

Baazius in Hist. Eccles. Sveo-Goth. l.8.c.4.p.800.

In meme ... sb. Svet. Gent. c. 22. §.8.

d... ...ni... ...ntia Reginæ (cùm noſtra eſſet, admirabilis,) CHR... ... nemoremus? unicam *Freinsbemii* Orationem, qvà natalem ejus alterum & viceſimum celebravit, mille Imperialium ... um. unciali dono ſplendidisſimè ornavit, *Qvale nihil antè accidiſſe usqvàm ſcimus* (addidit Clariſſ. Virorum ... *...c nec pòſt futurum eſſe, facilimè perſvademur.* Utinam no... reſponderet hoc oraculum, inprimis inter Teutones, eventui.

Schefferus ibid loci, §. 11.

Dicat aliqvis: qvod, qvale, qvantum iſtud genus literarum artiumq; ſit? in cujus gratiam tot erogata , vel legata præmia à ſapientibus, & animis Auguſtis fuerint? Ego verò efficaciùs condocefacere non poſſum, qvàm ſi ad Imperatorios & Regios cultores ejus ac brabevtas provocem; ſi merear applauſum in hoc obtinendo: populos Europæ Chriſtianæ pugnacisſimos ſemperq; formidabiles, militià, qvàm eloqventià non minùs, *Gallos* iſtud confirmare. Non recentia ediſſeram, antiqviora dabo. *Gallia pleraq;*, (ait *Cato* ille Porcius) *res duas induſtrioſisſimè perſecuta, rem militarem & argutè loqvi.* Deinde *Hieronymus*, qvi diu commoratus ibi olim; *Gallia viris ſemper fortisſimis eloqventiſſimisq; abundavit.*

Lib. 2. in Origg.

ad Vigilant. epiſt.

Nec ſuis defraudanda laudibus gens *Sueonum* videtur. Cùm plura referat, tùm nullum eſt illuſtrius exemplum, quàm quod de AXELIO OXENSTIERNA ſummo Regis pariter Regniq; quondam Adminiſtro, ſapientià, fortitudine ac ſuadâ temerè cum nullo comparando ævi noſtri prodidit Hiſtoricus: fuiſſe ipſum Virum Eloquentià inſtructum admirabili; ſeu domi atq; in Senatu, ſive apud Reges Principesq; foris agitarentur rerum pondera. Poſt Divi Regis obitum ex militaribus præfectis multi, ſive tædio laborum, ſive ſtudio novarum rerum, ſive aliquâ neceſſitate inter ſe conven-

vene-

venerant, *Axelium* adorti, ut compellerent ad desideria, nequicquam ausi ampliùs sunt contrà perorantem. *Adeò cunctorum animos oratione gravi atq; penetranti eloquentiâ demulsit, ut nequirent; digressiq; alter alterum vel extrà sese raptum in præsentia Axelii dicentis; deniq; se velut fascinatos ineffabili sermonis humanissimi arcanâ & suavissimâ virtute, ultrò, nec sine risu mutuo, profiterentur.* Nefas fuerit, semidei GUSTAVI ADOLPHI Regis præterire hîc facundiam. *Et aliàs non exposcebat* (ait iterum *Schefferus* præco) *alieni oris operam*, rarissimâ virtute inter Numinis Vicarios, *sive Legatis reddenda essent responsa, sive in Senatu de gravissimis deliberandum negociis, sive ad populum de necessitatibus Imperii instituendus esset sermo.* De Stetino Pomeraniâq; verbis & oratione victâ potiùs, quàm viribus, post alia hæc idem subdit: *Sic* GUSTAVUS ADOLPHUS *Eloquentiâ, quàm armis priùs fregit hostem.* *In memorab. Suet. Gent. c.29. §.5.*

Quorsum autem tot ac tanta, quærat porrò aliquis, elogia, ad Eloquentiam ornandam concinnata? Propter non ipsam, sed præsentis seculi, degeneris nimirum, cacoëthes. Quotusquisq; enim vel in Academiis permultis (novimus & vidimus specimina, experti diu,) vel in sedibus Nobilitatis Aulicæ, ad imitamenta FRISIORUM ac GERSDORFFIORUM SECKENDORFFIORUMq;, Luminum Columinumq; rei omnis publicæ, seu sacra, seu civilia expendas, in Saxoniæ Misniæq; oris hisce, seriò assurgit? Quorum admirandam Svadæ gloriam hîc non exaggerabo in opprobrium posteritatis; istud vel inviti largientur, ab avito studio discendi atq; exercendi nobilissimas has artes, descivisse ferè juventutem Academicam; quandoquidem, *ut videantur modò, non ut sint imposterùm vel docti, vel diserti*, potiore loco habent.

Iſta verò tranſeant, dum Eloqventiæ conſiderandi ambitus & limites ſuperſunt. Eloquentiam vocârunt nullâ non ætate Sapientes habitum ornatè, copiosè, & accommodatè de re omni (divina & humana, de Republ. perſonis, rebus, actionibus ad laudem vituperiumvé pertinentibus,) dicendi ſcribendiq;, hominum & populorum animos nunc irritando, nunc ſedando permoventem, Principum conſilia moderantem, ad honeſtatis & juſtitiæ præſidium, & communem hominum ſalutem. Prodeant cœleſtium interpretes oraculorum, Oratores ſacri, &, quid ſine Arte noſtra unqvàm valeant, confiteantur. Auſint perſuadere animis, ignari artificiorum, infacundi, verbo exprimam, inepti, erigendo miſeros, terrendo contumaces, animando imbecilles; faciant hæc, inquam, ſine Oratoriæ ſubſidiis. Forenſia civiliaq; tractent alii; Legatos agant, à conſiliis dicantur, orent cauſſas, ſanciant ſtatuta, voluminibus edendis inclareſcere nitantur; loquantur inornatè, inficetè ſcribant, eleganti ac diſertà ſint orbati dictione, umbræ ſunt, aut crepitacula.

Artis Oratoriæ ſi metiamur ſpacium ac limites, indefinitus, Gelliano ore, ambitus, qvoad materiem, occurrit. Græci, velut *Ariſtoteles*, *Demetrius Phalereus*, & hos ſecuti è Romanis *Cicero*, *Qvintilianus* etiam τὸ ἕκαςον amplexi, ſingulas ſub univerſo res, perſonas atqve actiones, qvatenùs ad genus aliqvod dicendi commodè referri poſſunt, præſcripſerunt. Omnia nimirum, qvæ ex numero perſvaſibilium cenſentur, illi ſubſunt. Nucleum intelligo inprimis ex Hiſtoria & prudentiâ Civili; ne qvis putamina vocabulorum modò captet. *Tullius* ex tripode: *Si Oratoris*, inqvit, *nihil vis*

1. de Orat. *eſſe, niſi compoſitè, ornatè, copiosè eloqvi; qværo id ipſum, qvî poſſit aſſeqvi ſine eâ ſcientiâ, qvam ei non conceditis?*

Qvid

Quid est enim tàm furiosum, quàm verborum vel optimorum atq; ornatissimorum strepitus inanis, nullâ subjectâ sententiâ, aut scientiâ? Sit Orator tanquàm omnigenæ eruditionis belluo; omnium rerum cognitione se nō ingurgitârit, omnes tn. degustârit, nam in eo, quod quis prorsus ignorat, disertus esse nequit. Ac meâ quidem sententiâ nemo poterit esse omni laude cumulatus Orator, nisi erit omnium rerum magnarum atq; Artium scientiam consecutus. Explicationem tamen aliis Orator libentissimè relinquit; applicationem sibi ad negotium persuasionis servat, & hâc parte limites agnoscit nullos. Audiamus *Fabium* de Oratore disserentem: *Ille Dialecticæ subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus caussasq; cognoverit. Ita enim est, Viri optimi, ita ex multa eruditione, ex pluribus artibus & omnium rerum scientiâ exundat illa admirabilis Eloquentia.* Neque Oratoris vis & facultas, sicut cæterarum rerum, angustis & brevibus terminis cluditur. *Quinctil. de C.C. corrupt. Eloquent.*

"Decipiuntur valdè, qui confundunt Oratoriam ceu principem, cum famula Rhetorica; muremq; adeò farinâ sparsum perridiculè pro domino pistrini habent. Tropis figurisq; & capitibus paucissimis Rhetoricen includunt vulgò, & ad arctissimos miserrimosq; carceres damnare Oratorem audent. Rectè *Valla: Rhetorem Rhetoricæ vocamus nos Lectorem, non Oratorem: mirorq;, cur in hoc tàm facili pervulgatoq; nomine exponendo Victorinus errârit.* Et du- *lib. 4. Elegant. 18.*

dum anteà *Eumenius*, cujus suprà fecimus honestam mentionem: *Neq; tanta*, inquit, *me aut negligentia, aut confidentia tenet, ut nesciam, qvanta sit inter hanc, & nostra illa secreta studiorum exercitia diversitas. Ibi armantur ingenia; hic præliantur. Ibi prolusio, hic pugna committitur. Hic plerunq; velut sudibus & saxis; illic telis splendentibus dimicatur. Hic sudore Rhetor & qvasi pulvere sordidus, illic insignis ornatu laudatur Orator.* Jamq; olim *Plinius* 4. Epist. 11. *Valerianus Licinius nunc eò decidit, ut exul de Senatore, Rhetor de Oratore fieret.* Medici Philosophiq; summi inter Italos *Hieronymi Fracastorii* acumen passim admiratur *Julius* ille *Cæsar Scaliger*, qvem mox illi testem sociabimus. Sic qvidem *Fracastorius* inter alia: *Plurimùm Orator atq; Rhetor differunt. Alter enim servus est, alter dominus, alter doctor, alter præceptor; illius, qvi servus est, finis est docere, per qvæ benè dicitur; ejus verò, qvi dominus, finis est persvadere.* Hic autem: *Oratoria est Politicæ pars, Rhetorica verò λογικῆς; cujus tertia portio Grammatica est.* Idemq; : *Rhetorica eadem cum Oratoria non est; qvippe ars Rhetorica Orationi ornatum atq; vim apponit ad persvadendum. Oratoria utitur illius instrumentis.* Ad qvem locum conferatur suppar *Scaligero* commentator *Sperlingius* ingeniosus. *Delenda igitur*, ut *Carolus Regius* existimat, *opinio illa vilis ac falsa, per qvam Oratoris facultas propè videtur in Rhetorum detrudi officinas. Altior hæc Professio est, sacra, divina; atq; adeò Philosophicæ neqvaqvàm servituti subjecta;* & qvæ ad gloriam illius ampliorem alia occurrunt ibi. *Vossius* ὁ πάνυ, cùm ad *Aristotelem* & *Ciceronem* provocasset, *artificiosam Eloquentiam civilis rationis magnam & amplam*

Dialog. de Poët. p. 343.

Scalig. l. de subtilit. 3.

Meditat. 3. ad Scal.

In Orator. Christian. l. 2. c. 1. p. 49.

lib. 1. de Philos. & eor. sect. c. 20.

par-

partem esse, addit: *quare Oratoriam in eo genere ponemus*, ait *Cicero* de inventione, *ut eam Civilis scientiæ partem esse dicamus*. Et in *Bruto* idem: *qvi Eloquentiæ dat operam, dat prudentiæ*. Non sine stomacho *Adamus Th. Siberus*, benè meritus Senator quondam Academicus hic loci: *Deniq;, ut discant*, inquit, *isti obtrectatores Eloquentiæ, Orator rerum, hoc est argumentorum ac scientiarum cognitionem aliunde accipit*, [ex Historia & Politica,] *verborum disciplinam ipse sibi parit*. Idem pluria in rem hanc affert alibi. *Joannes Avenarius*, qui Eloquentiæ hanc spartam pari laude apud nos ornavit: *Horis subcisivis per amœnissimos Civilis sapientiæ hortulos exspatiatus, quædam communi studiorum utilitati haud infrugifera, quibus ut plurimùm Oratores ac Politici se delectare consueverunt, collegi, collecta disposui, disposita publici juris feci*.

Dissert, Academ. 20. p. 267

Dissert. 21. p. 268.

Sesqvicent. Politic. qq. dedicat.

Meritò hîc vapulem, nisi in summorum meritis famâq; Oratorum *Buchneri* & *Boecleri*, propiori jure aliqvo venerandorum, acqviescerem sententiis. Sic qvidem ille: Eloqventiæ doctoris provinciam non ita definiunt, (prudentes) ut Ciceronis tantùm Orationibus, aut ejusdem, vel Aristotelis, aut Qvintiliani interpretandis præceptis includant; *porrigunt latiùs ejus fines,* " *inq; Historicorum ditionem usq; extendunt,* " cum *faciunt copiam eloqventissimum qvemqve eorum tractandi. Ac, licet conciones inprimis commendent, non eò tamen id intelligen-*

Programm. Acad. 392. ad An. 1649.

gen-

„ *gendum est, ac si à cæteris, ut alienis, abstinere*
„ *oporteat.* — — His rebus adductus, (pergit
„ maximus Virorum) atq; *ut demandati mu-*
„ *neris implerem partes, cùm sæpè ante in præ-*
„ *stantissimis qvibusq; Historicorum veterum,*
„ *qvi Latinè scripserunt, privatim juxtà & pu-*
blicè operam posui; tùm nunc T. Livium in manûs denuò decrevi sumere, propositurus primordia Urbis Regumq; historiam; tùm qvomodò conversa Resp. sit, exactis Regibus, & instituta fundataq; à Bruto libertas. Ego, ait *Bæcl.* mecum perpendens, cùm & à puero non de studiis magis, qvàm de studiorum usu cogitare consvevissem, *& officii præsertim, qvod nunc gero,* * *cura me commonefaceret*, ut de præparandis vitæ & usui publico juvenũ animis essem solicitus, visus sum mihi operæ pretium facturus, *si ad Civilia potissimùm Lectiones publicas & privatas cum exercitationibus plerisq; referrem.* Invenias apud qvosdam, *Politicum non alium, qvàm Oratorem dici.* Nota sunt Fabii verba in prooem. operis: „ *Vir ille verè civilis & publicarum privatarumq; rerum administrationi accommodatus, qvi regere consiliis urbes, fundare LL. emendare judiciis possit, non alius est profectò,*
„ *qvàm Orator.*

Programm. Acad. 2. p. 13. ad A. 1637.

* *(Sub auspicia Professionis Eloqventiæ hæc scripsit) Idem alibi: Differt. Academ. 3. de Eloqv. Viri Civil. p. 107.*

Horum omnium ut me auctoritatibus & rationibus experior munitum, sic vestigiis insistam pro virili, nec à mente illa, quam per Annos, indulgentiâ Numinis ser-

ſervavi propemodùm XXII [dixerim præfiſcini?] rectiſſimà, me dimoveri patiar. Si faciat me Rhetorem fortuna tamen, feram animo lubenti, neq; deprecabor nomen; cùm recogitem & *Scribas* appellatos olim, quos nunc vulgò *Cancellarios* vocamus; & *Scholaſticos*, qui cauſſarum fuerant Patroni; (*Advocati* in commune audiunt,) *Grammaticosq́.*, qui *Philologorum* nomine ac *Poëtarum* habebantur clari. Neque me prætereà Philologiæ unquam puduit, aut pudeat inpoſterum, ſi tantùm Philologo ſit omni integrum diſſerere in publico, quemadmodùm fas Oratori declamare.

Redeundum deniqve in viam, & apertiùs ſignificandum eſt, qvid velim. Poſteaqvàm ſcilicet elapsâ hâc hebdomade in *Taciti* Germaniam hûc Lectiones meas publicas adduxi per hos menſes qvatuor, ùt pauciora reſtent, intra breve ſpatium addenda; apud animum conſtitui, privatim exercitia, inprimis panegyricæ Orationis, recitanda, horis matutinis proximè ſubjicere. Exponam priùs Artis hujus reqviſita, themata exhibiturus etiam, Panegyriſtarum plurium egregios labores cum induſtriis, hâc lege nihilominùs, communicabo, ut rem agant ſeriò & manum operi admoveant & lingvam. Publicè, ut tempori inſerviam præſenti, ad Hiſtoriam patientis JESU ſacram ex deliciis Philologicis Antiqvitates eruam, tradámqve horâ veſpertina IV. in Acroaterio minori. Clauſulâ epiphonematis è *Cicerone* hauſti hoc propoſitum obſigno:

Per-

Pergite Adolescentes, atqve in id studium incumbite, ut vobis honori & amicis utilitati, & reipublicæ emolumento esse possitis. SIC VOS DEUS SERVET! P. P. Dominicâ REMINISCERE, Anno salutis reparatæ c I ɔ I ɔ c LXXXIII.



2

